Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 713
Quelle:
Copyright:

V. *fol.* 154. *Liber Auguſtini de agone chriſtiano.* Initium: *Corona Victorię non promittitur niſi certantibus* &c. Abrumpitur jam C. X. in his verbis: *non eius opere ſed noſtra uoluntate meruimus.* Extat *Opp.* T. VI. *col.* 245. Lectio noſtra proba.

CCCXXXII.

R. 3283 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 222. f. max. per duas columnas primum quidem charactere craſſo, atro, luculento, dein tenuiore nitido, utroque tamen eleganter exaratus, rubricis diſtinctus, et olim *Monaſterii B. V. in Gærſten* O. S. B. quod fuit in ſuper. *Auſtria*, conſtat ſequentibus: I. *Incipit ſermo I. beati Auguſtini ſuper ſecundam partem Johannis.* Secundam Partem vocat Noſter illos Tractatus, qui in Edit. *Maur.* T. III. *col.* 653. a Tract. LV. ad CXXIV. id eſt ultimum porriguntur. Ipſe vero a I. ad LXIV. numerando progreditur. Integra ſunt omnia, nec deeſt, quod ad lectionis variationem notari mereatur, cujus ſpecimen e Tract. ſeu *Sermone* I. adſcribam.

Codex	Editio
poſſe donauerit *explicemus*	poſſe donaverit *explananda*
propterea *quia* tunc primum	propterea tunc primum
Aegyptii tranſierunt, *non enim perſequendo manſerunt*, non tamen tranſierunt	Omittit: *non enim perſequendo manſerunt*
Caput, quod hinc *tranſiſſe noverant*	quod hinc *tranſiſſet*
Non *prohibemur intelligere*	Non *prohibemus intelligi.*
in *uſu* mala et in effectu bona	in *uſum* mala et in effectu bona
Euangeliſtarum ueſtigia *conſummavit*	Evangeliſtarum veſtigia *confirmavit.*
Quia *enim* homo ſuperbus — venit *etiam.*	Quia homo ſuperbus — venit *enim.*

II. *fol.* 119. *Incipiunt capitula beati auguſtini ſuper Johannem. De uerbis domini.* Poſtremum verum eſt; eſt enim Elenchus *Sermonum De Verbis Domini* numero LXII. Itaque deſunt ultimi II. e T. V. edit. *Maur.* reliqui vero decurrunt juxta *Ordinem veterem* ibidem praefixum, niſi quod *Quintus* loco motus eſt, et conſtitutus *Decimus octavus.* Lectio proba eſt, et quae diſcrepant, vix animadverſione digna ſunt. Neque illud admodum neceſſe eſt monere, quosdam horum *Sermonum* a *Maurianis* in *Appendicem* remiſſos eſſe.

III. *fol.* 221. p. 2. Accedit Catalogus chronologicus Rom. Pontificum a S. *Petro* ad *Adrianum* I. et annum DCCXCVI. quem ulterius